



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Dispytatio IV. Dentúrne à parte rei, quę ad Vniuersale formaliter
requiruntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

LIBER SECVNDVS
DE
VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.
PRO O E M I V M.

NONnulli librum hunc in Metaphysicam reiciunt, arbitantes vix posse in Logica perfecte intelligi: verum à communi ferè omnium consuetudine discedendum nobis non est, præcipuè cum ratio ipsa nos cogat de Vniuersalibus in Logica disputare: partiale enim obiectum Logicae sunt propositiones vniuersales, quibus in demonstrationibus & syllogismis vtuntur scientiae. Manca ergo esset Logica, & passim discipuli haerent, si rem adeò necessariam ad finem usque Metaphysicae reiiceremus, ut rectè notauit Toletus *Quest. I. de Vniuersalibus*, initio. Adde, quinque Prædicabilia, de quibus omnes Logici disputant, ne vix quidem percipi posse, Vniuersalibus ignoratis. Unde & qui Vniuersalia ad Metaphysicam reiciunt, coguntur hic per compendium saltem illa explicare: nec res est adeò difficilis, ut reserctis inutilibus argumentis, & difficultatibus quibus obrui solent discipulorum ingenia, si studio & diligentia in ea incumbatur, etiam à Logicis eius perfecta notitia obtineri nequeat. Quod si adhuc tibi ad Metaphysicam debere reici visum fuerit, hic habes & Metaphysicam non procul, relinque iam Vniuersalia, & cum Metaphysicam legeris, verte aliqua folia, & adhuc inuenies Vniuersalia non tibi fugisse.

DISPUTATIO QVARTA.

Dentur à parte rei, quæ ad Vniuersale formaliter requiruntur.

De auctore, instituto, inscriptione, partitione, & vtilitate huius libri latè Conimbricenses Proœmio in Isagogen Porphyrij: nobis non est animus in eis tempus terere, nam ex ipsis Disputationibus institutum & vtilitas libri constabit. Reliqua non valde vilia sunt. Videte P. Suarez *Disput. 6. Metaphysices* per totam, Hurtadum *Disputat. 4. Metaphysicæ*, Fonseca *Metaphys. cap. 13.* Toletum & Conimbricenses supra: ex quibus omnibus ea perstringemus, quæ sufficiant ad explicandam totam hanc materiam, & quæ pro maiori eius illustratione occurrerint, de nouo addemus.

SECTIO I.

Definitio & diuisio Vniuersalis.

ANTEQUAM inquiramus, vtrum detur à parte rei Vniuersale formaliter an non, præmitti oportet, quid nomine *Vniuersalis* significetur.

Vniuersale igitur Primò dici potest, quod in

se est vnum, habet tamen ordinem ad plura: quo sensu res productiua plurium & diuersorum effectuum dicitur *causa vniuersalis*, ut Deus, sol, &c. Secundò dici potest Vniuersale id, quod multorum est similitudo, ut imago, quæ est in mente artificis, dicitur idea quadam vniuersalis, quia ad eius similitudinem plura formantur arte facta. Item Tertiò, vox æquiuoca, quia plura diuersa significat, dici solet vniuersalis in significando. Sed de his Vniuersalibus nobis non est sermo in præsentia.

Vniuersale igitur in præsentia dicitur, iuxta Aristotelem 7. *Metaphysicæ*, cap. 3. & 1. Posteriorum 18. & 20. *vnum in multis*. Ex quâ definitione constat, requiri ad Vniuersale & vnitatem & pluralitatem, vnitatem in ipso Vniuersali, multiplicitatem in inferioribus in eadem omnino ratione vniuersali, quæ reperitur ad quælibet in pluribus, ita ut tota sit in quolibet, & non vna pars in vno, alia in alio. Ex quibus duo colliges.

Primum est, ut res aliqua possit esse vna in multis, prout ad Vniuersale requiritur, non sufficere, esse vnam in se, & habere plures partes etiam homogeneas ex quibus componatur, ut v.g. aqua, quæ est vna in se, & habet plures partes, in quibus

quibus etiam saluatur ratio aquæ: idem est de albedine parietis respectu suarum partium, & in reliquis compositis ex partibus omnino similibus, quæ non sunt vniuersalia vt comparata cum partibus, cuius eam reddunt nonnulli rationem, quia non est eadem essentia in omnibus partibus, sed diuersa: diuersa enim albedo est quæ reperitur in medio parietis, ab eâ quæ reperitur in eius extremis. Hæc ratio non placet, quia etiam animal quod est in homine non est idem cum eo quod est in leone & equo; & tamen ratio animalis est vniuersalis respectu hominis, leonis & equi. Imò ratio albedinis vt sic est vniuersalis respectu omnium partium albedinis, etiam si ipsæ partes non habeant eandem omnino albedinem. Non ergo inde ratio petenda, sed ex proximè à nobis dictis simul cum ipso corollario eruenda. Ideo scilicet totum actuale respectu suarum partium non esse vniuersale, quia illas omnes includit positivè: omnes autem partes non prædicantur de qualibet, prout ad rationem Vniuersalis requiritur, vt scilicet tota ratio superior prædicetur de quolibet inferiori. Quomodo autem id fiat, dicitur infra Disput. vi. num. 13.

Secundò colligitur, ad rationem Vniuersalis non sufficere, esse vnum in se, & in pluribus subiectis reperiri, vt anima rationalis, quæ vna cum sit, est tamen tota in pluribus partibus corporis: imò etiam si poneretur per miraculum in pluribus corporibus simul, vel successivè, non esset vniuersalis. Addo, nec futuram vniuersalem, etiam si identificaretur cum illis subiectis, eo modo quo essentia diuina identificatur realiter tribus personis. Ratio vtriusque est, quia quantumvis forma eadem sit in pluribus subiectis, vel identificetur cum illis, adhuc subiecta non sunt plura in ratione illius formæ, sicut nec tres diuina Personæ sunt plures in ratione naturæ diuinæ. Ad Vniuersale autem requiritur, vt inferiora sint plura in ratione ipsâ vniuersali, vt sunt homo, & equus plures in ratione animalis.

Nonnulli conantur reddere rationem à priori huius doctrine, cur scilicet hæc vnitas & multiplicatio ad rationem Vniuersalis requiratur, dicuntque illam esse: nam ea multiplicatio, quam paulò antè diximus dari in formâ existente in multis subiectis, & in essentiâ diuinâ tribus Personis identificatâ, ea inquam multiplicatio non repugnat rei singulari vt singulari; ergo per illam non constituitur Vniuersale: quia vniuersale diuerso modo debet constitui, quàm constituitur singulare. Non placet hæc ratio: quia sicut causa, eò quod possit plures effectus producere, etiam si sit singularis in se, dicitur tamen causa vniuersalis; cur etiam non possent illæ formæ, quæ sunt aptæ ad essendum in pluribus subiectis, dici vniuersales, differreque à rebus omnino singularibus, quod hæc non possunt esse in pluribus subiectis, vt v. g. mea duratio in communi sententiâ, quæ non potest esse in alio subiecto, nisi in me?

Ideo censéo, non reddi aliam rationem huius veritatis, nisi quia ex communi consensu Philosophorum nomen hoc *vniuersale* solum significat rem, quæ, cum sit in se vna, multiplicatur tamen in suis inferioribus, ita vt inferiora sint plura in ratione superiori modo explicato: neque in puncto præsent, quod solum est de significatio-

ne huius vocis *vniuersale*, alia ratio à priori querenda est, nisi communis acceptio.

Obiicies implicare, rem aliquam vnam in se, simul intrinsecè multiplicari in eadem omnino ratione, in quâ est vna: quia rem esse vnam, & esse plures, contradictoriè opponuntur, sicut forma & negatio formæ; nam vnum dicit negationem multipliciter, ergo ad rationem Vniuersalis non potest exigi multiplicitas inferiorum in eadem ratione vniuersali. Respondeo, certissimum esse, eandem rem non posse esse in vnâ & eadem formalitate simul vnam & plures intrinsecè, verum non repugnare, rem aliquam esse intrinsecè plura in ratione hominis v. g. & in eadem ratione esse vnam extrinsecè ab actu intellectus, ea plura non distinguente inter se, vt dicam Disputat. vi. à num. 13.

Sed replicabis contra solutionem. Quia si sufficit vnitas extrinseca, & multiplicitas intrinseca ad rationem Vniuersalis, quare non è contrario sufficit vnitas intrinseca & multiplicitas extrinseca, qualem habent formæ aptæ esse in pluribus subiectis? Respondeo, ideò non sufficere multipliciter hanc extrinsecam, quia cum eâ non stat, inferiora esse plura in ratione vniuersali, vt dixi proximè. Sed obiicit quidam, id falsum esse in Vniuersalibus accidentalibus, quia, iuxta dicta in Summulis, vt sint plura alba, non requiruntur plures albedines, sed plura subiecta, etiam si vnam habeant albedinem. Hæc obiectio levis est: quia licet vna albedo in pluribus subiectis constituat plura alba, verum inferiora albedinis non sunt alba, sed hæc & illa albedo, sicut inferiora coloris non sunt colorata, sed colores. Licet autem multiplicato subiecto albedinis, multiplicentur alba, non tamen albedines; ergo multiplicitas extrinseca subiectorum, etiam in formis accidentalibus non sufficit, vt multiplicentur inferiora formæ accidentalis, quatenus inferiora, ergo nec vt ea forma sit Vniuersalis ex solâ multiplicitate subiecti.

Ex dictis colliges, eas naturas, quibus repugnat multiplicitas, non esse vniuersales, naturam v. g. diuinam, & in sententiâ D. Thomæ etiam species Angelicas, quibus repugnat habere plura indiuidua. Item colliges è contrario, quamcumque naturam, siue substantialem, siue accidentalem, siue concretam, siue abstractam, quæ multiplicari potest, esse posse Vniuersalem: quia sicut substantia, quia prædicatur de pluribus substantiis, est vniuersalis, ita accidens, quia prædicatur de pluribus accidentibus; & concreta, quia de pluribus concretis; & abstracta de pluribus abstractis, album de hoc & de illo albo, albedo de hac & illâ albedine, fortiuntur rationem Vniuersalis.

Imò aduerte, ad rationem Vniuersalis non requiri multipliciter, nisi in solâ ratione vniuersali, vt patet in personis diuinis: nam ratio personæ vt sic, est vniuersalis respectu illarum, etiam si natura diuina, quæ cum illis identificatur, non sit multiplex. Ratio est, quia sicut multiplicitas personarum non efficit naturam diuinam Vniuersalem, quia illam non efficit multiplicem in ratione naturæ; ita neque vnitas naturæ diuinæ tollit vniuersaliter personarum, quia non tollit earum multipliciter.

Hoc Vniuersale sic explicatum aliud est *Metaphysicum*.

physicum, id est vniuersale in essendo, aliud *Logicum*, id est in prædicando: quia, vt dixi supra, Logica agit de prædicabilitate vniuersalis, Metaphysica verò de ipso vniuersali in essendo. Verum tamen est, vniuersale Metaphysicum futurum etiam vniuersale Logicum, & contrà; quia eo ipso, quòd res sit apta esse in multis, est etiam apta vt prædicetur de multis, & contrà, si sit apta vt prædicetur de multis, etiam erit apta inesse multis. Et ob eam rationem non potest vniuersale Logicum sine Metaphysico, neque hoc sine illo explicari.

SECTIO II.

Reuincuntur sententiæ Platonis, Scotistarum & Fonseca de vniuersali à parte rei.

PRIMA CONCLUSIO. Non dantur à parte rei vniuersalia separata à singularibus, v. g. homo vt sic, equus vt sic, &c. ex quorum participatione omnia singularia habeant suum esse & intrinsecam essentiam, vt Platonem sensisse, testis est eius discipulus Aristoteles 1. Metaphysicæ, cap. 6. & lib. 7. cap. 6. & 8. & sæpè alibi, vocans hæc vniuersalia ideas Platonis. Nostra Conclusio adeò est certa, vt nullus ab eà discordet. Et probatur Primo, quia vel naturæ illæ vniuersales sunt incorruptibiles, & distinctæ à singularibus, vel non. Si dicas hoc secundum, teneo intentum, scilicet, à parte rei non dari vniuersalia separata à singularibus. Si verò ea dicas esse separata & incorruptibilia, contra Primò, Ergo non possunt prædicari de inferioribus corruptibilibus, quia de corruptibili nequit prædicari aliquid incorruptibile, tamquam identificata inter se, hæc enim duo contradictoriè opponuntur: si autem non identificantur, nec prædicantur, quia omnis prædicatio fit per Verbum significans identitatem. Contra Secundò, quia implicat, creaturam aliquam non esse dependentem à Deo, id enim est essentiale conceptui creaturæ; sed si illæ naturæ essent incorruptibiles & immutabiles, non dependerent à Deo, vt patet, ergo essent & non essent creaturæ, quod repugnat. Contra Tertiò, quia hinc orirentur in Theologiâ grauissima absurda. Primò, si in omnibus indiuiduis datur eadem omnino natura humana v. g. ergo natura eadem numero Christi est etiam in Iudæ & in Barabbâ, & in illis est Deo offensa, & punitur in inferno, in Christo autem est Deo grata, & fruens diuinâ essentiâ; quæ omnia implicatoria sunt. Deinde, in Eucharistiâ non tota substantia panis conuerteretur in Corpus Christi, quod est hæreticum. Sequela patet: nam ratio substantiæ & Corporis quæ est in pane, est eadem numero cum ratione substantiæ & corporis quod est in Christo, idem autem non conuertitur in seipsum; ergo hæc rationes genericæ non conuertuntur in Christum, ergo nec tota substantia panis. His similia multa alia absurda ex hac sententiâ excogitari possunt.

7 Eadem sequuntur ex sententiâ nonnullorum Scotistarum, asserentium in omnibus inferioribus esse vnicam naturam solum formaliter distinctam à singularitatibus, quia supraposita ab-

surda non sequuntur ex sententiâ Platonis, eò quòd natura illa distinguatur realiter à singularibus, sed ex eo quòd sit vna eadem numero in omnibus, prout hi Scotistæ defendunt. Præterea specialiter impugnatur hæc sententia secunda. Quia iuxta illam datur in creatis mysterium Trinitatis; nam eadem omnino natura est idem realiter cum pluribus singularitatibus, quin singularitates sint idem inter se realiter, sicut eadem natura diuina cum tribus personis, quin ipsæ personæ sint idem inter se realiter. Nec sufficit, si dicas, singularitates distinguì à naturâ formaliter, quia etiam in tuâ sententiâ natura diuina distinguatur formaliter à tribus personis.

Quòd si propter hæc argumenta dicas, in quolibet singulari esse propriam naturam distinctam realiter à naturâ aliorum, & distinctam etiam formaliter à propriâ singularitate, quæ fuit fortè mens Scoti; impugneris Disputat. v. Sect. 1.

His argumentis apertè ostenditur falsitas opinionis Scotistarum & Platonis. Verum ostendamus, adhuc admissis eius principiis non sequi, dari vniuersale à parte rei, vt eius auctores contendeant. Quod sic demonstro: Si enim vna natura esset omnino in omnibus inferioribus (vt hi voluerunt) repugnaret, inferiora esse plura in illâ naturâ formaliter loquendo, quia vnum dicit negationem diuisionis, ergo natura in omnibus non potest esse diuisa in illis in ratione naturæ, & simul in eadem ratione naturæ non diuisa, sed vnâ: forma enim & negatio formæ repugnant eidem rei, & sicut natura diuina, etiam si identificetur cum tribus personis, tamen ipsa non est diuisa, nec tres personæ sunt plures in ratione naturæ, nec potest dici ibi dari tres naturas; ita licet concederemus Scotistis in omnibus singularibus reperiri vnicam naturam, non tamen inde inferretur, eam naturam esse vniuersalem; non enim tunc potest esse multiplicata in singularibus, prout vniuersale requirit.

SECUNDA CONCLUSIO. In nullo statu potest considerari ipsa secundum se, in quo sit ipsa vniuersalis independenter ab intellectu. Hæc est contra Fonseca lib. 5. Metaphysicæ, cap. 28. à quæst. 3. Sed vt Conclusio intelligatur, explicabo paucis Fonseca mentem, de quâ P. Suarez Disputat. 6. Metaphysicæ Sect. 3.

Fonseca igitur considerat naturam humanam v. g. (idem est de reliquis) in triplici statu. Primus est, in esse possibili antequam determinaretur ad hoc potius indiuiduum, quam ad aliud; sicut potest homo considerari indifferens, vt determinetur ad esse album, aut esse nigrum; sola hæc est differentia, quòd homo etiam in tempore est indifferens vt sit albus, vel niger: at natura humana non habet illam indifferenciam, nisi in quodam signo naturæ ab æterno, in quo etiam signo Deus erat indifferens, vt vellet vel nollet creare mundum. In hoc statu dicit Fonseca naturam ipsam esse vniuersalem, quia est vna in se, & apta determinari & diuidi in plures naturas etiam numero aut specie distinctas in ratione naturæ. Secundus status naturæ humanæ est, in quo ipsa iam intelligitur contracta & determinata per singularitates: in quo statu iam non est vniuersalis, quia non est vna, sed plures ratione indiuiduationum. Tertius status est in esse obiectiuo, id est, quando intellectus concipit naturam humanam

manam sine indiuiduis eo modo quo ipsa erat in primo statu, qui dicitur status solius essentiae. Quod si in illo primo statu natura secundum se erat vniuersalis, etiam in tertio erit vniuersalis, non in se, sed in intellectu eam concipiente cum vniuersalitate quam in primo statu habuit à se.

Hæc est Fonsæ mens, quâ potui breuitate & claritate ex ipsis verbis explicata, contra quam sit nostra Conclusio supra posita: quam dum probo, simul Fonsæ sententiam refuto. Et in primis, quatenus ad tertium statum de naturâ in esse obiectiuo, coincidit Fonsæ cum Thomistis; contra quos agendum est Disputatione vi. Quantum verò ad secundum statum, in quo natura est multiplicata in indiuiduis, concinit veritati. Quantum verò ad primum statum essentiae, in quo videtur supponere, naturam distinguui ab indiuiduatione, quandoquidem est indifferens ad illam habendam vel non habendam: quam indifferentiam non posset habere, si nullo modo distingueretur ab indiuiduatione, quâ nihil est indifferens ad seipsum, vel ad sui negationem; quantum ergo ad hanc distinctionem realem, vel ex naturâ rei in quâ fundatur Fonsæ opinio, refutabitur Disputat. v. Sect. i.

¹⁰ Quod si dicat Fonsæ, illam indifferentiam ad habendam indiuiduationem non fuisse realem, sed rationis; Contrâ, quia hoc est deferere sententiam propriam, & confugere ad sententiam Thomistarum asserentium, naturam per intellectum reddi abstractam à singularitatibus, & indifferentem vt per illas contrahatur, non quia natura secundum se eam indifferentiam habeat in aliquo signo, vt docuerat prius Fonsæ, & de quo inferius redibit sermo.

Sed age iam, concedamus P. Fonsæ prædictam distinctionem inter naturam & singularitates, adhuc ostendo, ipsum in consequenter locutum, nec in eius sententiâ dari posse Vniuersale à parte rei. Quod non consequenter fuerit locutus, sic probo: Quia per ipsum naturam secundum se est indifferens vt contrahatur ad hoc indiuiduum potius, quàm ad aliud; rogo ergo, à quo fuerit determinata ad hanc indiuiduationem. Non à se ipsâ, quia de se non petit illam indiuiduationem; ergo determinata fuit à Deo, quia non est aliud agens, à quo possit determinari. Tum sic, ergo hæc natura idè est in tali indiuiduo, quia Deus voluit; ergo si Deus vellet iam eam auferre ab hac indiuiduatione, & dare illi aliam, non esset vnde impediretur, quia determinatio orta ex solâ voluntate Dei, per solam etiam voluntatem Dei potest reuocari; ergo eo ipso, quod in aliquo priori naturâ fuerit verè & realiter, vt dicit Fonsæ, indifferens ad hanc vel illam indiuiduationem, debet etiam esse indifferens toto tempore quo existit: sicut quia in aliquo fui ego indifferens ad habendam vel non habendam albedinem, semper quantum est ex me maneo indifferens, vt illam habeam, vel non habeam. Vnde consequentiùs Scotistæ, admissâ distinctione naturæ ab indiuiduatione, dixerunt, etiam dum est in hac indiuiduatione, esse indifferentem vt eâ relictâ possit aliam habere.

¹¹ Deinde, si in eodem instanti reali, in quo natura fuit indifferens & vna, in eodem fuit contrahata ad singularia, & in illis multiplicata, ergo

simul in eodem instanti habuit vnitatem & multiplicitatem, negationem diuisionis & diuisionem; quæ prorsus repugnant: quia nequit in eodem instanti reali simul esse forma, & eius negatio, etiam pro diuersis signis rationis. Denique ex sententiâ Fonsæ non sequi, dari Vniuersale à parte rei, inde patet: quia si Fonsæ semel adstruat naturam esse vnam à parte rei pro illo priori, fateri tenetur, etiam postquam illa natura determinatur ad inferiora, adhuc esse vnam: quia res, quæ se ipsis non distinguuntur, quantumuis postea identificentur cum rebus distinctis, adhuc manebunt ipsæ indistinctæ, vt patet in essentiâ diuinâ, quæ, quia secundum se est vna, quantumuis identficetur cum tribus personis, adhuc manet vna in se; sicut contrâ res, quæ se ipsis distinguuntur, quantumuis identficentur cum aliâ indiuisibili, non tamen identficantur inter se. Ita personalitates diuinæ, quia se ipsis distinguuntur, quantumuis identficentur cum vnâ diuinâ naturâ, adhuc manent distinctæ. Ratio à priori est, quia esse idem, & esse distincta, est quid essentialiter imbitum in ratione entis. Sicut autem implicat, rem, quæ se ipsâ non est ens, constitui ens per aliud; ita implicat, rem quæ se ipsâ est vna, distinguui per aliam, & quæ se ipsâ est distincta, constitui vnam per aliam diuersam. Poterit quidem res addita efficere, vt compositum resultans ex illâ & ex præcedenti sit distinctum, vel multiplex, non tamen in eâ ratione vnâ, & communi vtrique composito, sed in eâ quæ additur: sicut, quia cum naturâ diuinâ identficantur personalitates distinctæ, totum resultans ex naturâ & personalitate est multiplex & distinctum, non in ratione naturæ, sed in ratione personæ; ita similiter, si natura humana ipsa de se esset vna, quantumuis identficaretur cum indiuiduationibus diuersis, & compositum resultans ex ipsâ & indiuiduatione, esset multiplex, non tamen in ratione naturæ, sed tantum in ipsis indiuiduationibus: sicut plura subiecta habentia eandem albedinem, sunt diuersa ex parte subiecti, & non ex parte albedinis; ergo adhuc, admissâ sententiâ Fonsæ, non sequitur ex illâ Vniuersale à parte rei, quia iuxta illam non datur multiplicitas inferiorum in ratione vniuersalis, si in eâ datur vnitatis rigorosa ex parte naturæ.

SECTIO III.

Caietani & aliorum de Vniuersali negatiuo sententia.

CAIETANVS cap. 4. de ente & essentiâ, quæst. 6. docuit, naturam humanam, Petri v. g. distinguui ab humanâ naturâ Pauli: id verò non prouenire ex ipsis naturis, quæ secundum se sunt vnum quid negatiuum, quatenus non dicunt ex se distinctionem, sed solum ratione indiuiduationum cum quibus identficantur, quod conuenit naturis ipsis à parte rei independentem ab intellectu. imò addit, naturæ Petri secundum se non repugnare à parte rei, esse in Ioanne, etsi non dicat aptitudinem positiuam ad illam.

Hæc sententia displicet ob multa. Primò, quia videtur distinguere à parte rei naturam à singu-

H laritate:

laritate: nam si à parte rei non distinguerentur, non posset natura conuenire non repugnantia ad essendum in alià indiuiduatione, & ipsi singularitati conuenire eadem repugnantia; quia repugnantia & non repugnantia nequeunt eidem rei simul conuenire. Debet ergo defendi sententia Caietani dependenter à distinctione naturæ & singularitatis, quæ distinctio impugnabitur infra.

13. Secundò displicet, quia distinguit inter non repugnantiam, & inter aptitudinem posituam ad essendum in alio; quæ duò idem sunt à parte rei: quia si alicui naturæ non repugnat esse in alio indiuiduo, ergo potest esse in alio indiuiduo; ergo habet aptitudinem ut sit in illo; frustra ergo inter non repugnantiam & aptitudinem queritur discrimen.

Tertiò tandem & ultimò displicet, quia eo ipso quòd Petrus & Paulus in ratione hominis non dicant distinctionem, tenetur fateri in ratione hominis non esse distinctos, quia idem est, non dicere distinctionem, & non esse distinctos. Vide quæ diximus Sectione præcedenti, ubi ostendimus, distinctionem vel identitatem rei non posse provenire ab alio à se quoquomodo distincto.

Sed obiicit Caietanus, Petrus & Paulus independentes ab intellectu habent negationem distinctionis formalis in ratione hominis, quia non distinguuntur in illà ratione, ergo sunt vnum negatiuè in illà. Falsum Antecedens, & mala consequentia. Falsum Antecedens, quia Petrus & Paulus, etiamsi in ratione hominis non sint dissimiles, sunt tamen distincti, quæ duò valde sunt diuersa (ut infra dicam:) & quia à multis non considerata sunt, idè in has confusiones & identitates secundum se, & negatiuè, &c. lapsi sunt. Addo iam, consequentiam esse malam: quia si Antecedens esset verum, non solum negatiuè, sed etiam positiuè Petrus & Paulus essent idem; quia in rebus positiuis non distingui, & esse vnum positiuè, idem omnino est, diuerso modo explicatum. Ergo si Petrus non distinguitur à Paulo, positiuè erit idem cum illo.

14. Obiicies secundò, Homo ex se neque est Petrus, neque illi repugnat esse Petrus, ergo ex se non est idem cum illo positiuè, ergo est negatiuè distinctus ab illo. Respondeo, negando Antecedens, quia homini qui ex se non est Petrus, essentialiter repugnat esse Petrus, & homini qui est ex se Petrus, essentialiter repugnat non esse Petrus, quia in illo non est distincta ratio hominis à Petreitate, de quo infra. Sed licet demus Caietano totum hoc, adhuc non posset probare, dari vniuersale à parte rei: quia si natura à parte rei est vna in omnibus, iam non poterit esse multiplex, & consequenter nec vniuersalis. Argumentatur autem Caietanus ex æquiuocatione: accipit enim hominem in diuersa suppositione, iam pro hoc, iam verò pro illo. licet autem omnes vno nomine vocentur, sunt tamen tam distincti, quam lapis & homo, licet non sint ita dissimiles. Insuper accipit homo ex se, cum à parte rei nullus sit homo ex se, sed Petrus, Paulus, &c.

Alij docent, naturam humanam, v.g. ut ratione distinctam ab indiuiduatione, esse indifferentem ut possit esse cum hac vel cum illà indiuiduatione, quod est, eam esse vniuersalem negatiuè seu per non-repugnantiam. Hæc sententia potest dupliciter intelligi: Primo, ut natura ex distinctione intellectus sit vniuersalis, & hæc est opinio Thomistarum, de quâ infra. Secundò potest intelligi, ut illa eadem natura præcisè ex se realiter habeat illam indifferentiam; & hæc est sententia Caietani proximè impugnata, idè noua non indiget refutatione.

Alij Doctores inde probant, dari vniuersale à parte rei, quia Petrus & Paulus v.g. à parte rei sunt vnum similitudine, & plures re ipsa, ergo à parte rei est vniuersalis ratio hominis. Hi Doctores facillè reiciuntur, non quia falsò doceant, Petrum & Paulum esse vnum similitudine, sed quia vnitas similitudinis est vnitas impropria, nec sufficiens ad vnitatem vniuersalem, iuxta communem ferè omnium acceptionem huius vocis *vniuersale*; in quæstionibus autem de nomine standum est communi acceptioni, ut sæpe docui. Quòd si adhuc contendant hi Auctores, ratione huius similitudinis posse dici, dari vniuersale à parte rei, erit nobis cum illis quæstio de puro nomine, à quâ ut abstinemus, dico, in præfenti nobis non esse sermonem de hac vniuersalitate, sed de illà quæ consistit in vnitatis rigorosâ infra explicandâ.

SECTIO IV.

Vera sententia proponitur.

Hoc tamen velim hic in primis aduertat, multos grauissimè indignari, quando aliquis docet, dari à parte rei vniuersale ante operationem intellectus, & de hac quæstione acerrimè disputare. Ego tamen puto, eam nullo modo aut vix posse esse de re, sed de solo nomine (ut paulò antè insinuaui) de significatione scilicet huius vocis *vniuersale*, vel *vnitas*, aut *multiplicitas vniuersalis*: quidam enim solum volunt, requiri vnitatem similitudinis, quæcumque illa sit, ut paulò antè dixi. Alij volunt, sufficere vnitatem, quam Petrus v.g. & quodlibet indiuiduum solum habet ex se, ut ab illà natura humana dicatur vna; pro multiplicitate verò solum requirunt eam, quam omnia indiuidua simul sumpta habent. Alij ponunt nescio quas negationes, quas homo habet à parte rei. Alij aliter rem explicant, semper tamen ad significationem vocis deuoluunt tota quæstio. Nos, suppositâ acceptione communiori, consequenter negamus vniuersale à parte rei. Ex impugnatione enim sententiarum de vniuersali à parte rei constat apertè, nec de facto dari, nec posse etiam de potentia absolutâ independentes ab intellectu, quod vltimò hac ratione demonstro. Implicat, naturam aliquam à parte rei esse vnam in se vnitatis rigorosâ, & eandem esse multiplicem & diuisam in eadem ratione: sed hoc requiritur ad vniuersale, ergo illud implicat à parte rei. Consequentia est euidentis. Minor admittitur ab omnibus, Maior vero lumine naturæ est nota, quia vnitas dicit negationem multiplicatis in eadem ratione in quâ est vna: sed negatio alicuius formæ, & ipsa forma nequeunt simul existere à parte rei; ergo neque natura vna in multis, prout ad vniuersale requiritur.

Hic disputant aliqui, verum possit diuinitus in creaturis reperiri quid simile mysterio Trinitatis,

ris, natura, scilicet, quæ eum in se sit vna, identifi-
ficatur tamen rebus distinctis. Non possum non
mirari, hos Auctores quæstionem de Vniuersali
à parte rei fecisse dependentem à quæstione de
mysterio Trinitatis in creatis: quia licet illud
concederemus, adhuc non sequeretur dari Vni-
uersale à parte rei, sicut nec sequitur in diuinis, ex
eo quod ibi detur prædictum mysterium. Ratio
est, quam sæpe reddidimus, quia natura illa, si
esset vna in pluribus, ea tamen, in quibus esset,
non essent plura in ea ratione, prout ad Vniuer-
sale requiritur.

17 Dices, Natura illa creata ita eadem numero ef-
fet in pluribus, vt simul in illis multiplicaretur
in eadem ratione, quæ erat vna. Sed contra, quia
iam destruis casum: eo enim ipso quod supponis,
naturam illam non solum identifiari, sed etiam
multiplicari in multis, ita vt in illis non maneat
vna, etiam in ratione nature; iam non est myste-
rium Trinitatis in creatis, sed mysterium quod
de facto datur inter omnes homines, scilicet hu-
mana natura multiplicata in indiuiduis. Quod si
aduersarij simul vellent, illam naturam manere
vnam indiuisibilem in inferioribus, & simul in
illis multiplicari in eadem ratione nature, iam
ponerent aliquid in creatis multo maius, quam
mysterium Trinitatis. Nam natura diuina solum
est vna in ratione nature, & multiplex in perso-
nalitatibus: at hæc natura creata & in ratione na-
ture esset vna, & in eadem ratione esset multi-
plex, quod maius est mysterio Trinitatis, & in
se manifestam inuoluit contradictionem, quia
vnitas dicit multiplicatis negationem in eadem
ratione; ergo præcisè ex eo, quod admitteretur
in creatis mysterium Trinitatis, non sequeretur
dari Vniuersale à parte rei, magis, quam non dat
in diuinis; ergo frustra in præsentem de eius
possibilitate disputatur, nisi forte vt aliquid
Theologicum à suo loco huc transferatur.

Obiicies pro Vniuersali à parte rei, Aristote-
lem & D. Thomam passim docere res esse vni-
uersales. Sed quid inde? fateor res esse vniuer-
sales, sed non à se solis, sed etiam ab intellectu, de
quo disputat. vi.

18 Secunda obiectio: Quia nullo existente intel-
lectu potest dici, homines esse eiusdem speciei, &
animalia esse eiusdem generis, ergo datur à parte
rei genus & species, quæ sint Vniuersalia.

Respondeo, homines à parte rei ante intel-
lectum non esse eiusdem speciei formaliter, sed so-
lum fundamentaliter, quatenus similes sunt in

ratione hominis, ex quâ similitudine postea in-
tellectus occasionem arripit eos constituendi
extrinsecè eiusdem speciei & Vniuersalis forma-
liter.

Tertiò obiicies, Vniuersale esse obiectum intel-
lectus, ergo illum præcedit, quia obiectum est
ante actum quo cognoscitur; ergo à parte rei ante
intellectus actum datur Vniuersale. Respondeo,
distinguendo duplicem actum intellectus circa
Vniuersale, vnum quo efficitur ipsum Vniuer-
sale, ante quem dico non præcedere nec debere
præcedere ipsum Vniuersale, quia non potest
actus præcedere se ipsum inclusum in Vniuersa-
li vt tali, sicut actus quo constituitur obiectum
cognitum, non est posterior ipso obiecto in
quantum cognito, quandoquidem per illum
actum constituitur in ratione cogniti. Secundus
actus circa Vniuersale est, quo ipsum Vniuersale
iam factum cognoscitur reflexè, & ante hunc fa-
teor præcedere Vniuersale. Inde tamen non in-
fertur, Vniuersale dari à parte rei ante omnem
actum intellectus; quia licet sit ante aliquem
actum, potest tamen & debet esse post alium.

Obiicies quartò: Humana natura definitur
vnica definitione, ergo est vna: præterea habet
plura inferiora; ergo est in multis, ergo vniuer-
salis. Respondeo, ideò definiri vnica definitione,
quia est vnâ solum similitudine; vnitas autem si-
militudinis sufficit ad hoc, vt vno actu possint ea
indiuidua concipi, & fieri Vniuersalia formaliter.
Ante illum verò actum non habent ipsam
vniuersalitatem, quod infra fusiùs declarabitur.

Quintò, A parte rei detur particulare, quod 19
est correlatiuum Vniuersalis; ergo & datur et-
iam Vniuersale, quia vnum correlatiuum non
stat sine alio. Respondeo, particulare esse corre-
latiuium non Vniuersalis formalis, sed funda-
mentaliter; id est, esse correlatiuum respectu mul-
titudinis, v. g. respectu decem, centum, om-
nium: dantur autem à parte rei vnus, duo, tres,
multi, omnes; sed Vniuersale formaliter non dat
tur propter dicta.

Vltimo obiicies, Scientiæ sunt de his quæ dan-
tur à parte rei; sed sola Vniuersalia sunt obiecta
scientiæ, ergo Vniuersalia dantur à parte rei.
Respondeo, scientias esse de Vniuersalibus non
formaliter sed fundamentaliter; id est, de pluri-
bus indiuiduis vt similibus magis & minus inter
se. Alia argumenta omitto prudens, quia ex Dis-
putationibus sequentibus eorum solutiones cla-
riùs percipiuntur.

DISPUTATIO QUINTA.

De Distinctione graduum inter se, & à singularitatibus.



ISPVTATIONE præcedenti per to-
tam ostendi, adhuc admissâ di-
stinctione graduum, non dari
Vniuersale à parte rei; iam nunc
oportet explanare, quæ & qualis
sit ea distinctio, quia ad Vniuersa-
lis notitiam maximè conducit.

SECTIO I.

Scotistarum sententia.

GRADVS superiores voco prædicata commu-
nia, verbi gratiâ, animalitatem respectu ho-
minis & equi; inferiores verò ea in quibus diffe-
runt inter se, rationalitatem, hinnibilitatem, &
de his quærimus, quâ ratione inter se distinguan-
tur. Aduerte, non fieri comparisonem inter gra-
dus